Dissertationes medicae.

II.

SPECIMEN
MEDICO-PRACTICUM
SISTENS
CURAM SCORBUTI,
QVOD
PUBLICO EXAMINI SUBMITTET
JOHANNES SVENDSEN,
DEFENDENTE
AMUNDO RICHARDO HOLTERMANN,
STRENUO MEDICINÆ CULTORE.

IN
AUDITORIO COLLEGII WALKENDORPHIANI
Die Aprilis 1780.

HAVNIÆ.
Typis *AUGUSTI FRIDERICI STEINII.*

Hanc morbi hiſtoriam, qvamvis nil novi habeat, aut qvod eruditorum admirationem mereatur; tamen adnotaſſe juvat, qvippe ſi remediis idoneis morbo recte cognito occurrerim, tenuitatem benigniſſime excuſatam fore ſpero & conſido.

Neqve

Neqve alius eſt morbus Scorbuto cognitu facilior, perpenſis omnibus ſymtomatibus, cauſis prægreſſis, & vitæ genere ægroti; niſi forte multiplex complicatio 1) ignorantia aut metus inanis, 2) fefellerit.

a) Symtomata morbi eodem tempore graſſantis vel epidemici Scorbuto adjungi poſſe obſervationes docuerunt, ex. gr. Peripnevmonia, Dyſenteria. Scorbutum ſub larva febris catharrhalis obſervavit ampliſſ. Archiater *Aaſkovius*. Vide Diar. med. navale pag. 124.

b) Si-

b) Siqvo termino abutitur (teſte experientiſſ. Prof. *Thode*) certiſſime eſt Scorbutus, qvidam ſe ſcorbuto laborare ignorantia credunt; alii ob cauſam qvamcunqve intermediam, qvamvis pathologiæ gnari, ægrotantes in prava hac opinione relinqvunt. Sic innumera ſymtomata Scorbuti nomine indigitantur atqve antiſcorbuticis tractantur, ab hoc morbo prorſus aliena. Neqve unum alterumve ſymtoma per ſe, ex. gr. halitus oris putridus, ſtomacace, exanthemata & ſimilia, ſcorbuti præſentiam denotat, ſed plura ſimul adeſſe debent.

Hic

Hic vero qvæ plus facessit negotii ipsa est curatio: diversus morbi gradus, ægroti varians constitutio cet. judicium practicum in mutatis mutandis instructissimum desiderant; dantur haud raro casus, ubi sic dicta antiscorbutica (*a*) vix ac ne vix qvidem sufficiunt, ut ad Corticem Peruvianum tanqvam summum remedium sit confugiendum.

Inter ægros, qvi anno proxime elapso, dum Chirurgi primarii navalis

(*a*) Herbas puto recentes, s. olera & qvæ ex his conficiuntur Acetaria, Vina, & Cerevisias medicatas, Succos vegetabiles fermentationi obnoxios vel acido dulces, Poma aurantia, Citrea, Decoctum strobilorum Pini, Infusum Malti, &c.

navalis munere fungebar, curæ meæ commiſſi erant unus occurrit vero Scorbuto laborans, cujus hiſtoria in Diario à me notata ſeqvens eſt: *Anders Chriſtenſen* nauta 25 annos natus (*b*), debilis & piger, exercitiisqve navalibus parum adſvetus, dolorem conqværitur dorſi & lumborum lancinantem, gravitate, laſſitudine, rigiditate tendinum ſub poplite & reliqvarum juncturarum ſtipatum, cum immobilitate genuum atqve

(*b*) Qvæ duæ circumſtantiæ in cauſa eſſe videntur cur Scorbutum contraxerit, cum ex 200 hominibus, unde navis præſidium conſtabat, nemo præter illum ſcorbuto adfectus eſſet cæteraqve tum victus bonæ & exqviſitæ indolis tum coelum, ut plurimum ſerenum & mite.

atqve intumefcentia, crura & femora maculis tum lividis tum flavis variegata apparent, nec non ulcera pedum ichorem fangvinolentum nigricantem fundentia, halitus oris putridus abfqve gingivarum ftomacace adeft; lectum tenentis pulfus celer nonnihil elevatus, furrecti vero atqve fefe paululum moventis mox in debilem inæqvalem mutatur, facies flava, alvus adftricta, urina parca & rubra.

Symtomatibus cognitis, de Scorbuto præfente perfvafus, curam incepi propinando laxans rhabarbarinum, qvod pro neceffitate repetitum fuit, deinde decoctum anti-

antiſcorbuticum ad libram ſemem in die, ita conficitur.

R. *Herbæ trifolii fibrini*
Turionum Pini ana uncias ſex
Baccarum juniperi uncias tres.
Inciſa coqvantur per integram horam in aqvæ vel cereviſiæ menſuris qvatuor. Cola.

Hoc per qvatuor dies utens, nullum ſentiit levamen, ſed virium animiqve debilitas magis increvit cum oppreſſione & dolore pectoris.

Qvocirca cum morbi genium melius cognoviſſem, omnibus qvæ humorum pectus verſus motum concitant damnatis, perfectam qvie-

tem

tem (*c*) injunxi, pro potu ordinario aqvam Succo citri mixtam ordinavi ſangvini ſubinde parcendum neceſſarium ducens, venæſectionem (*d*) omiſi; mox vero veſicatorium loco dolenti applicari, & pro uſu interno De-

(*c*) Motum corporis in Scorbuto provectiore, ubi ſc. pulmones lento demumqve acri ſangvine obruti ſunt, tantum non convenire, ſed pernicioſum eſſe cum Lindio & Ruppe abunde ſatis monet Ampliſſ. *Aaſköv.* Qvemadmodum caſus adfert, ubi hoc morbo laborantes ad motum adacti, ſub eodem ſuccubuere & paucos poſt dies ſuffocati obiere, l. c. pag. 82.

(*d*) Ejusdem nempe Viri experientia ductus, cui ſc. obſervationes docuerunt à venæſectione in Scorbuto augeri debilitatem, ægros in lipothymiam incidere, hinc S. M. niſi ſumma urgeat neceſſitas, nunqvam inſtitui ſvadet.

Decoctum Corticis Peruviani (e) addito oxymelle ſcillitico ordinavi.

Indies qvoqve repetitis vicibus genua & pedes rigidos, tum oleo olivarum cum æqvali parte Aceti vini, tum Succo citri ſolo per fricari curavi.

His poſt ſeptem dies rite adhibitis, non ſolum dolor & oppresſio pectoris ceſſavere reſpiratio facilis pulſusqve naturalis rediere, ſed etiam maculæ diſparuerant & ulcera fere

(e) R. *Pulveris groſſi Corticis Peruviani* unc. tres
Aqvæ ferventis unciam unam.
Coqvatur ad conſumtionem tertiæ partis.
Coletur per linteum.

fere sanata erant. Hinc, diæta utens antiscorbutica, sc. jusculo è carne recenti cum oleribus parato, motuqve corporis, in aëre præsertim silvestri (*f*) reficiente indies gavisus, continuatis interim remediis, nec diu usqve dum ita restituebatur, ut officia sua perficere valens, inter sanos sibi permissus esset.

(*f*) Postqvam sc. navis portum qvendam Norvegiæ intraverat.